

44  
L  
15



*Theses Juridica,*

**DE COLLATIO-**  
**NIBVS, EX TITVLO**  
**XX. LIBRO. VI. CODICIS, ET**  
**TITVLO. VI. LIB. XXXVII. ff.**

Quas

**PRÆSIDE NOBILI ET**  
**CONSULTISSIMO I. C. DOMINO**  
**HENRICO CANISIO NOVIOMAGO,**  
*in Laudatissima & Catholica INGOLSTADI-*  
*ENSI Academia SS. Canonum Professore*  
*Ordinario, nec non Serenissimo Bava-*  
*ria Duci à Consilijs, in Collegio*  
*eiusdem*


Defendet

**CLAVDIVS PIVS**  
**PEVTTINGER.**

Die Mensis 10 Ianuarij

**INGOLSTADII,**  
**Ex Officina WOLFGANGI EDERI.**

**ANNO M. D. XCIIII.**



REVERENDO

ET NOBILI DOMINO

CLAUDIO CHRYSOSTOMO

PEVTTINGER

AD D. PETRI AVGV,

STAE, ET S. MAVRITII

ibidem Canonico, Domino &

patruo summè co,

lendo.

Observantiæ & amoris ergo  
dedicat & offert.

CLAVDIVS PIVS PEVTTINGER

B. MARIE RATISPONÆ CANONICVS.




*Theses Juridica,*

DE COLLATIONI-

BVS EX TITVLO XX. LIBRO VI.

Cod. & titulo. 6. libro. 37. ff.

THESIS PRIMA.



OLLATIONIS verbum etsi variè  
vtrouque iure vsurpetur *a* hinc tamen non  
nisi pro contributione & communicati-  
one bonorum accipiemus, *b* quatenus  
scilicet cæteris cohæredibus in successione  
hæreditaria conferenda sunt.

<sup>a</sup> Vt per Doctores C. hoc tit. & Albericū in dictionar. verbo Collatores  
<sup>b</sup> sic accipitur in C. hoc tit. & ff. de collatione bonor. & tit. de collatione  
dotis.

II.

ITA QVE non incommode hoc modo describi potest:  
Collatio est reipropriæ ex necessitate succedendi facta co-  
hæredi communicatio.

III.

*Propria*, inquam; Nam quæ hæreditatis sunt, aut nun-  
quam exierunt ex defuncti patrimonio, non tam conferun-  
tur, quàm vti communia inter hæredes diuiduntur; *a* vel  
reipsa, *b* vel effectu, videlicet remittendo tanquidem ex

A 2

bonis

bonis hæreditatis percipiendæ, e vel reliquos cohæredes actione liberando. d

<sup>a</sup> l. filia 12. C. hoc tit. l. certum 13. C. famil. hercisc. l. illud, fin. §. sin autem C. commun. viriusque iud. <sup>b</sup> l. i. l. prætor, §. quoties, §. emancipari ff. de collat. bonor. l. ea demum. 6. C. hoc tit. <sup>c</sup> l. dotis 5. C. hoc tit. <sup>d</sup> l. si pater. 2. C. eodem l. i. §. filiam ff. de collat. dotis, & l. si filia 20. in princ. ff. famil. hercisc.

## IV.

ADDIDI ex necessitate succedendi. Non enim collatio locum habet nisi in successoribus hæreditarijs. Siquidem is qui bonis paternis se non immiscet, aut alterius ascendentis hæreditate abstinet, non cogitur ab eodem accepta conferre.

<sup>a</sup> l. i. in princ. l. penult. & ultima ff. de collat. dot. l. filia 4. C. hoc tit. l. ex causa 26. C. famil. hercisc. l. i. verbo, inter eos. ff. hoc tit. authent. unde si pater, C. de inoffic. testam.

## V.

COLLATIONIS autem origo ex æquitate Prætoris profecta est, ad conferuandam inter succedentes æqualitatem, & ad auertendam iniuriam. a

<sup>a</sup> l. i. ff. hoc tit.

## VI.

CUM enim Prætor emancipatos in nullam portionem hæreditatis paternæ de iure ciuili succedentes a ad bonorum possessionem contra tabulas admitteret, participesque faceret cum ijs qui sunt in potestate bonorum paternorum, consequens esse credidit vt sua quoque bona in medium conferant, qui appeterent paterna b Nam natura æquum est neminem locupletari debere cum alterius iniuria. c

<sup>a</sup> §. emancipatos, instit. de exhæred. liber §. emancipati, instit. de hæred. que ab intestato. l. fin. C. de legir. hæ. <sup>b</sup> d. l. i. in princ. ff. de collat. bonor. <sup>c</sup> l. nam hoc natura ff. de condiçt. indeb. c. locupletari de reg. iur. in 6.

## VII. QVAM

## VII.

QVAM æquitatem secutus Anastasius Imperator idem collationis ius ad reliquos liberos, qui aliter, quam per emancipationem, patriam potestatem exiissent, rectè quoque transtulit.

<sup>a</sup> l. liberos 18. C. hoc tit.

## VIII.

IMÒ interpretatione Iureconsultorum & autoritate Principum effectum est, vt inter omnes liberos cuiuscunque gradus, aut sexus, & siue sui, siue emancipati sint, collationis munus obtineret, eorum scilicet bonorum, que ab eo, de cuius successione agitur, percepta sunt. a

<sup>a</sup> l. i in princ. ff. de collat. dot. & l. vt liberis. 17. C. hoc tit. & l. si lic. 12. C. eod.

## IX.

NAM & hinc accidit vt etiam si hæc contra tabulas possessio bonorum non petatur, sed testamentum per quærculam in officiosi rescindatur, collationi tamen locus sit.

<sup>a</sup> d. l. vt liberis. 17. C. hoc tit.

## X.

SED & Iustinianus Imperator collationis ius eò produxit vt & inter testamentarios hæredes obtinere censuerit; dummodo à testatore nihil contra statueretur. a Quod iure antiquo aliter obtinebat. b

<sup>a</sup> Authen. ex testamento. C. hoc tit. <sup>b</sup> l. i filia dotem. 4 l. filiam. 7. l. 8. 9. II. C. hoc tit. l. 3. & l. 5. ff. de collatione dotis.

## XI.

PORRÒ vbi nullo incommodo afficitur cohæres, nemo ad collationem compellitur. a Si enim ( exempli gratia ) pater filium quem in potestate habebat, & extra-

ncum hæredem scripserit, emancipatum præterierit & bonorum possessionem contra tabulas uterque filius acceperit, emancipatus ita demum fratri suo conferet, si aliquid ei ex causa hæreditatis abstulerit. *b*

<sup>a</sup> l. 1. §. toties l. 3. & l. nec ipsa. 7. ff. de collat. dotis *b* l. 1. §. pater filium. ff. hoc tit.

## XII.

SVNT qui inter succedentes diuerso iure, puta vno ex testamento, altero ab intestato, collationem cessare existimant. *a* Sed minus rectè, inspecto iure Iustiniani. *b*

<sup>a</sup> per l. pater filium 6. cum l. seq. ff. de collat. dotis. l. filium. 20. §. videamus. ff. de bonor. poss. cont. tab. *b* in d. auth. ex testamento: Et sententia Bartoli ad d. l. pater filium. 6. circa finem, quam communem asserrunt Iason & Decius apud Ferdinand. Vasquium, de success. resol. §. 12. num. 55.

## XIII.

VSRPATVM illud est vt & Ius collationis ad hæredes transmittatur.

l. 1. §. ibidem Iulianus ff. de collat. bonor. l. si maritus. 14. l. illam. 19. C. hoc tit. l. 2. & l. 5. ff. de collat. bonor.

## XIV.

NEPOTES enim auo succedentes dotem & donationem propter nuptias parentibus suis, dum viuerent, ab auo constitutas patruis & auunculis cohæredibus conferre coguntur. Sicut & é diuerso patruis & auunculi nepotibus. Idem in cæteris descendentes obseruatur.

d. l. illam. 19. C. hoc tit.

## XV.

ILLVD à Baldo rectè annotatum fuit collationem non nisi inter succedentes liberos locum obtinere, idque cum agitur de hæreditate ascendentes, & inter illos tantum quibus

quibus debetur legitima portio. Ad Rubricam circa finem, & ad l. si emancipati. 9. num. 8. C. hoc tit. facit text. in d. l. vt liberis, & in l. fin. C. communia vtriusque iudic. facit l. illud. 20. C. hoc tit; Nec enim lege aliter cautum reperitur, l. illam 19. verbo; Eo quod nulla. C. hoc tit.

## XVI.

VND E bellè infertur si pater filium suum ex semisse hæredem instituerit, & nepotes ex eodem filio ex altero semisse hos iuicem conferre non oportere.

Iason l. si emancipati. 9. col. 5. C. hoc tit.

## XVII.

IT E M si liberi à successione ascendentes tempore vel repudiatione exclusi sint, succedant autem ex capite, Vnde legitimi, vel Vnde proxime agnati *a* neque hos constringi possit ad conferendum. Cum hac specie non vt liberi, sed tanquam cognati succedant. *b*

<sup>a</sup> Id enim illis licet, per text. in l. 1. §. quibus ex edicto ff. de successor. edicto. *b* Baldus ad l. si emancipati. 9. num. 3. C. hoc tit. Bartol. ad l. pater filium. 6. num. 8. ff. de collat. dot. Adde l. 1. §. sed videndum; glossam, verbo Nec cæteris ff. de successor. edicto, & l. Legitimis ff. vnde cognati.

## XVIII.

QVÆ verò bona in medium conferenda sint, hinc dispiciamus. Et in prius expresso iure constat castrensia & quasi castrensia bona à nemine conferenda esse.

l. 1. §. nec castrense ff. de collat. bonor. l. fin. C. hoc tit. l. vltima. C. de inoffic. testam. l. si filius familias 4. C. familiae hercisc. l. filia licet. 12. §. cum auem C. hoc tit.

## XIX.

CASTRENSIA ea appellamus quæ eunti in militiam vel in ea degenti à patre, matre, aliusuè propinquis vel amicis donata sunt, vel ipse in militia acquisiuit, quæ

nisi

nisi militasset acquisiturus non fuisset. Item quod ex militari pecunia comparatum est.

*l. castrense, ff. de castrensi pec. l. 1. & l. 4. C. eod. lib. 12.*

## XX.

**Q**UASI castrensi bona ea dicuntur quæ ad exemplum castrensiu bonorum à iure inducta sunt, qualia aduocati, assessores, medici, liberalium artium Magistri, vel alij ex publico officio sibi acquisuerunt.

*l. fori, l. aduocatis, C. de aduoc. diuers. iud. l. veluti C. de assessoribus, & l. fin. C. de inoffic. testam. §. fin. instit. de milit. testam. Gomezius. §. actiones num. 15. per l. veluti. C. de assessoribus. l. 2. de privileg. eor. qui in sac. pal. & de castrensi omnium palatarum peculio lib. 12.*

## XXI.

**Q**UO genere censentur & ea quæ clericus quacunque ratione dum sacris ministerijs deseruit, sibi conquisiuit. Neque enim hæc collationis munere funguntur, sed utpote propria à solo clerico percipiuntur: adeò ut etiam si filius-familiàs sit, de ijs testari possit.

*l. sacrosanctæ. auth. presbyteros & diaconos C. de SS. Ecclesijs, l. Leonina, C. de Episc. & Cler. Conarruias. c. quia nos, de testamentis.*

## XXII.

**E**XCEPTIS tamen ijs quæ clerico prospectu Ecclesiæ suæ obtigerunt, aut ex eiusdem redditibus, siue facultatibus comparata sunt. Hæc enim magis ad ius Ecclesiæ pertinent.

*c. penult. & ult. ext. de pecul. clericor. c. 1. c. cū in officiis. c. quia nos, c. quia relatum. il. 2. & c. requisisti, ext. de testam. §. interdicimus Nouell. de Ecclesiast. tit.*

## XXIII.

**D**E bonis verò aduentitijs, hoc est, ex materna vel alterius

ius successione hæreditaria, siue etiam proprio labore, vel alia quavis ratione acquisitis, dummodo non ex re aut occasione patris. *a* Idem iuris est, ut nō conferantur ex Iuliani constitutione. *b*

*l. 1. & passim toto tit. C. de bonis mater. l. cum oportet, C. de bonis qua lib. b l. fin. C. hoc tit.*

## XXIV.

**A**TQUE hæc obtinent tam in suis quam in emancipatis liberis; nec non in ijs, qui nec sui nec emancipati dicuntur, ut sunt liberi respectu maternæ lineæ, & siue illi soli, siue permixtim inter se in succedendo concurrant.

*dd. iuribus. Adde Doctores ad d. l. fin. C. hoc tit.*

## XXV.

**S**OLA itaque disceptatio est de bonis profectiis, id est, ab eo profectis de cuius successione agitur, quatenus ea in communionem redigenda sint. Redigenda vero esse explorati iuris est, à quocunque ascendente in liberos cuiuscunq; iuris & sexus deuenessint.

*l. filia dotem. 4. l. ut liberis. 17. aut. ex testamento, & passim toto tit. C. de collationibus.*

## XXVI.

**S**I tamen ob causam data sint, puta ob dotem, vel ob donationem propter nuptias. *a* Nam simplex donatio *b* legatum & fideicommissum *c* collationi non subiacent. Sed à donatario & legatario tanquam propria præcipiuntur. *d*

*a d. l. ut liberis & d. auth. ex testam. C. hoc tit. b l. illud 20. in fine, C. hoc tit. l. si quando §. & generaliter C. de inoff. testam. l. si non moris ff. eodem. §. l. si qua fideicommissum. 7. C. familia hercisc. l. filiam. 17. l. à patre. 1. C. hoc tit. d. dd. iuribus, & l. 12 §. si ab ipsa ff. hoc tit.*

T H E S E S

XXVII.

SANE duobus casibus donatio simplex confertur; Vno, si alter cohæres dotem vel donationem propter nuptias conferat; altero, si à donatore collationis lex adiecta fuerit. *d. l. illudzo. §. ad hæc. C. hoc tit.*

XXVIII.

SED & in emancipato singulariter obtinuit, vt is donationem simplicem in commune referre debeat.

*d. l. vt liberis, in fine; Ratio est apud Bartol. & alios ad d. auct. ex testamento. Adde Baldum ibidem late disputantem.*

XXIX.

HINC emancipatus liberos studiorum causa comparatos in medium conferre cogitur: Suus vero nequaquam. Errant enim qui liberos à patre emptos peculio quasi castrensi ascribunt.

*Apud Bartolum ad d. l. filia la 2. C. hoc tit. & Baldum ad sepè d. auct. ex testamento, num. 6.*

XXX.

VERVM emancipatus si de bonis quæ collationis oneri subiecta sunt, dotem filia sine dolo malo constituerit, non tenetur dotem eius conferre, ex Vlpiani responso.

*In l. 1. in fine, ff. de collat. bonor. Adde per gloss. expressam l. ea demum, verbo Fuerunt, C. hoc tit. Textus in l. pater filia ff. de euiditionibus. Facit l. si success. 2. C. de his quæ in fraud. l. 4. ff. hoc tit. l. 6. ff. de de iure dotium*

XXXI.

Hic commodè quæritur, quando res à patre tradita filio censetur esse donata? Quia in re Bartoli sententiam asequimur, vt si pater rem filij nomine emerit & tradiderit, præsumatur donasse, b sin aliter, potius videatur eam in peculium concessisse.

*a add.*

I V R I D I C A E.

*a add. l. si donatio. 13. num. 4. C. hoc tit. b per textum in l. filia C. famil. hercisc. l. 1. C. de castrensi peculio libr. 12.*

XXXII.

NI SI causa remunerationis siue benè merita præcesserint: qua specie & donata censetur, sicut si expressè id pater contestetur.

*argumen. l. si vero non remunerandi, 12. §. & papinian. ff. Mandati, & l. eum quid. 3. ff. si certum petat.*

XXXIII.

DE expensis studiorum hæsitatum fuit, an post mortem patris in diminutionem portionis hæreditariae imputandæ sint? Et verius est quod non: Nisi pater animo imputandi eas erogasset.

*l. qua pater 50. ff. famil. hercisc. l. si paterno. 15. & l. officio. 5. C. de negot. gestis, l. is qui amicitia 43. ff. eodem, facit. l. Item si filius 7. §. quod dicitur, circa finem ff. ad Macedonian. & l. Macedoniani. 5. C. hoc tit.*

XXXIV.

QVOD & ad sumptus pro Doctoratus gradu consequendo à patre ministratos, pertahi debet, vt nec hi in rationem portionis computari debeant.

*Vt est communis opinio, teste Ferdinando Vasquio, quem vide de success. resolut. §. 19. num. 37. Facit textus in d. l. qua pater ff. famil. hercisc. & in l. omnimodo 30 §. imputari, C. de in offic. testamen.*

XXXV.

IDEM plane statuendum est de beneficio & dignitate Ecclesiastica, si quid eius nomine pro expediendis diplomatibus Apostolicis, vel aliàs legitime à patre expensum sit.

*Argum. l. 1. §. Sed an id, ff. de collat. bonor. & d. §. imputari.*

XXXVI. A V T

## XXXVI.

AVT in nuptias filiorum collocatum. Neque enim hoc conferre necesse est.

*l. 3. in fine, iuncta ibidem glossa ff. de munerib. & honorib. l. ex parte. §. filius ff. famil. hercisc.*

## XXXVII.

QVTD autem si secularis dignitas, præfectura, militia, aut aliud officij genus à patre pro filio emptum sit? Existimamus, quatenus lucrum continet, deducta oneris aestimatione, in commune renocandum esse.

*l. illud 20. C. hoc tit. iuncta l. 1. §. sed an id ff. hoc tit. & l. omnimodo 30. §. impurari. C. de inoffic. testam.*

## XXXVIII.

PROMISSA verò ob eam causam pecunia, & nondum ex soluta à patre, omnium hæredum est, & commune onus, non autem eius, qui dignitatem aut officium promeruit. *a* Quæ non minus ad feudum emptum pro filio produci possunt. *b*

*a d. §. sed an id, l. 1. ff. de collationib. b Vide quæ tradit Corasius ad l. filium quem habentem C. famil. hercisc.*

## XXXIX.

ILLVD hîc controuerti posset, An defuncto patre filio adhuc in studio versanti ex communi hereditate impensæ subministrandæ sint? quod nulla ratio suadet, *a* licet studij nomine æs alienum antè à filio contractum ad singulos hæredes spectet. *b*

*a Contra enim probat text. in l. Et si filium. 15. ff. de mancip. & honorib. & in l. Lucius 21. §. idem respondit. ff. ad municipalem. b l. 1. §.*

*sed*

*sed an id, in fine. ff. de collat. bonor. iuncta l. fin. C. si certum pet. & l. Ea qua in nominib. 6. C. famil. hercisc. l. Macedoniani 5. C. ad Macedonian.*

## XL.

HIS non aliena incidit quæstio, vtrum lucrum pecuniæ filio à patre in negociationem concessæ in diuisionem conferendum sit? Et magis est, vt si totum filij industria obtigerit, tanquam aduentitiū à filio præcipiatur *a* sin ipsi pecuniæ acceptum fertur, totum reliquis hæredibus vt pote profectitium communiceetur. *b* Vbi autem vtrunque cõcurrit incunda erit ratio quid pecuniæ, quid ué industriæ personæ attribui debeat, vt illud commune alijs, hoc proprium filij sit.

*a l. cum oportet. 6. circa principũ, verbo Vel laboribus suis, C. de bon. qua lib. §. sancitum, instit. per quas personas. b d. l. cum oportet, in princ. verbo Non ex eius substantia, & d. §. sancitum. l. Balista. 32. ff. ad Trebell. & l. in fideicommissi 3. §. nonnunquam ff. de vsuris. c Vide eleganter Bartol. ad l. 1. §. nec castrense, num. 5. ff. de collat. bonor. Baldum ad l. cum oportet, circa princip. num 10. & Menochium de arbitrar. iudic. casu. 126.*

## XLI.

PLANÈ si filius patris nomine negociationem exercuerit, dubium non est, quin lucrum omnium liberorum sit.

*§. institoria, instit. Quod cum eo, l. 1. & passim toto titulo ff. de instit. actio.*

## XLII.

QVTD si addubitetur, Vnde filius bona sibi acquiserit? rectè responderet glossa id ex qualitate filij æstimandum esse, an is negligens, an industriosus sit, *a* dummodò bona patris administrarit. Nam aliàs filius cogi non debet ad docendum titulum possessionis suæ. *b* *a* Glossa ad d. l.

*B 7*

*cum*

*cum oportet, in verbis Ex eius substantia, b l. cogi. xi. C. de petit. hered. iuncta l. fin. C. de rei vindicat.*

## XLIII.

HINC quoque quæsitum fuit an si pecunia illa negotiationi deputata & luxuriosè siue perperam profusa, referri debeat à filio in portionem suam hæreditariã? Quod nõ credimus, cum ex nulla obligatione à filio familiã patri debeat.

*l. lis nulla 4. ff. de iudiciis. Facit text. in l. Imperator 50. ff. ad s. Trebell.*

## XLIV.

SED nec illud, quod pænã nomine pro condemnato filio pater exsoluit, in eandem portionem imputabitur.

*Ex eadem ratione, licet contra dispuerit Vasquius de success. resolut. §. 19. num. 42.*

## XLV.

ET multo minus, quod pro filio à Religionis vel Imperij hostibus redimendo numeravit.

*Textus optimus in l. liber captus C. de postliminio. Adde l. i. C. de negot. gestis.*

## XLVI.

SI fructus bonorum paternorum aut peculij aduentitij filius permittente patre percipiat, illos in communionem venire a hos verò præcipuos filio fieri, non dubitatur. b

*a l. cum oportet 6. in princ. verbo Non ex eius substantia, C. de bonis q. lib. l. Balista. 32. ff. ad Trebell. iuncta l. certum 13. C. famil. hercisf.*

*b Textus in d. l. cum oportet, §. sin autem res.*

## XLVII.

CÆTERVM in dote illud rectè observatur vt ea constante

stante matrimonio non quidem re ipsa conferatur, sed subducatur ex portione hæreditaria filię.

*l. dotis 5. C. hoc tit.*

## XLVIII.

ID QV E si maritus eo tempore quo dotis subductio fit soluendo sit. Nam aliã non imputatur dos mulieri nisi culpa eius acciderit, quod vergente ad inopiam marito dos ab ea exacta non fuerit.

*iuncta aush. Quod locum C. hoc tit.*

## XLIX.

POTEST & mulier retenta sibi dote abstinere hæreditate eius à quo dos constituta vel promissa fuit.

*l. fin. C. com. veriusque iud. l. penult. & ult. ff. de collat. dot. facit l. 4. ff. famil. hercisf.*

## L.

POSTREMO collatio à coheredibus petitur aut officio iudicis, a aut ope exceptionis extorquetur b & semper deducto ære alieno fiet collatio. c

*a l. si soror. 8. C. hoc tit. b l. posthumo. xi. cum l. seq. & ibidem Doctores C. hoc nostro tit. c l. ea demum C. eodem.*

## Problema

An merces in pecunia numerata consistere debeat in locatione?



Eruditam hanc de Collationibus disputationem typis dignam censeo,

MICHAEL EISELIN, Collegij  
Theologici hoc tempore Decanus.